Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

ex castro cui nomen mons barrus. et ipsa in ordine suo apostolicam regulam tenens. subdita viro, sub eo secundum timorem dei domum suam regebat. operibus misericordie insistens. filios enutriens in omni disciplina. Septem quoque liberos genuit. non tam viro suo quam deo. sex mares. feminam unam. mares omnes monachos futuros. feminam sanctimonialem. Deo namque ut dictum est non seculo generans. singulos mox ut partu ediderat. ipsa manibus propriis domino offerebat. Propter quod etiam alienis uberibus nutriendos committere illustris femina refugiebat. quasi cum lacte materno materni quodammodo boni infundens eis naturam. Cum autem crevissent. quamdiu sub manu eius erant. heremo magis quam curie nutriebat. non patiens delicatiores assuescere cibos. sed grossioribus et communibus assuefaciens. et sic eos preparans et instituens domino inspirante. quasi continuo ad heremum transmittendos.

Hec cum in ordine generandorum filiorum tercium bernardum haberet in utero: sompnium vidit presagium futurorum: catellum scilicet totum candidum in dorso rufum. et latrantem se in utero habere. Super quo territa vehementer. cum religiosum quendam virum consuluisset. continue ille spiritum prophetie concipiens. quo david de sanctis predicatoribus domino dicit. lingua canum tuorum ex inimicis. trepidanti et anxie respondit. Ne timeas. bene res agit. Optimi catuli mater eris. qui domus dei custos futurus. magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregius predicator. et tanquam bonus canis gratie lingue medicinalis in multis multos morbos curaturus est animarum. Quo responso mulier pia et fidelis quasi adeo suscepto leta efficitur. et iam tunc in amorem nondum nati tota transfunditur. cogitans eum sacris litteris erudiendum tradere. secundum modum visionis et interpretationis. que ei de illo tam sublima divinitatis dona promittebant. Quod et factum est. Mox enim ut feliciter partu edidit. non modo optulit eum deo. sicut de aliis agere consueverat. sed sicut legitur de sancta anna matre samuelis que petitum a domino et acceptum filium in tabernaculo eius destinavit perpetuo servitutis. sic et ipsa eum in ecclesia dei acceptabile obtulit munus. Unde et quam citius id fieri potuit. in ecclesia castellionis que postmodum ipsius bernardi opera a seculari conversatione in ordinem regularium canonicorum sublimata cognoscitur. magistris litterarum tradens erudiendum. egit quicquid potuit ut in eis proficeret. Puer autem et gratia plenus. et ingenio natali pollens. cito in hoc matris desiderium implevit. Nam in litterarum quidem studio super etatem et pre coetaneis suis proficiebat. sed in rebus secularibus iam mortificationem future perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat quippe simplicissimus in secularibus. amans habitare secum. publicum fugitans. et mire cogitativus. Parentibus obediens et subditus. omnibus benignus et gratus. domi simplex et quietus. foris rarus et ultra quam credi possit verecundus.